

sine horrore dixerit in Ser. de Assumpt. « Sileat misericordiam tuam B. Virgo, qui te in necessitatibus suis invocam sibi unquam meminere defuisse. Et quid mirum, si invocata adest, quae etiam non vocata praesto est! » Animant nos denique 6<sup>o</sup> variae revelationes, quae hae de causa sunt factae, ex quibus sola illa sufficere potest, quae S. Franciscus obtigit, ut in chron. min. refertur, dum duas scalas vidit, rubram alteram, cui Christo insidebat, sed apud quam plerique ascendere volentes repulsi sunt: alteram candidam, cui B. Virgo insidebat, ad quam confugientes cum benevolentia magna excepti atque ad caelum intronissi sunt, ut adeo vere impletum videatur illud S. Bernardi pronuntiatum: Ex hoc beatam te dicent omnes generationes, quae omnibus generationibus vitam et gloriam tribuisti: in te enim Angeli letitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inveniunt in aeternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturae, quia in te, per te, et de te benigna manus omnipotentis, quidquid creavit, recreavit. » Atque hae de altera cultus Mariani parte, scilicet de columna sint dicta.

## Tertia pars.

Veniamus nunc ad tertiam scilicet [ad ipsam B. V. statuam, quae merito principalis reputatur, et nil aliud quam imitationem S. Virginis nobis indicat; per hanc enim imitationem vere in cordibus nostris tanto elegantius effingitur Virgo Sanctissima, quanto perfectius eam imitari studuerimus; hinc tam sollicito ad hanc imitationem SS. Patres nos incitant, et 1<sup>o</sup> quidem S. Bernardus, dum l. c. ait: « Ut impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis ejus exemplum. » Et clarus S. Iulianus s. de assumpt. dum ait: « Igitur, dilectissimi, amate Mariam, quam colitis: colite, quam amatis: quia tunc vere colitis, et amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis; » nam ut bene S. Iulianus s. i. de assumpt. advertit: « Non tam illi prodest nostra laudatio, quam nobis illius imitatio, unde sponso magis placeat imitator devotus, quam laudator otiosus: tamen vera laudatio cordis imitatio est operis. » Vultis autem scire, qua in virtute potissimum eam imitari debeatis? Id vobis ipsamet Virgo indicavit, dum dixit olim: *Quaecunque dixerit vobis, servate, et facite;*

hoc, hae obedientia gratissimus cultus est, ut jam pridem dixit, qui coecinit: « Virginis est cultus pulcherrimus, optima vita. » Absque hoc nullum aliud obsequium gratum erit. Quid enim proderit, si ore eam collaudes, et corde ipsam et Filium ejus maledicas? Quid juvabit, si cibo corporali ad honorem illius abstineas, et magnam abstinentiam, quae in peccatorum fuga consistit, non serves? Quid erit, si propter ipsam osculum terrae figas, et interea caput contra ipsam, et Filium per mandatorum transgressionem erigas? Ah Filii mei, *Non diligamus lingua vel verbo, sed opere et veritate*, inquit recte S. Joannes: laudabiles sunt, non nego, ejusmodi devotiones, ideoque, tibi occasio datur, non negligenda; sed oportet hae facere, et alterum non omittere, scilicet mandatorum observationem, quia melior est obedientia, quam victimae; hanc profecto si praestiteris, pulcherrimam B. Virginis imaginem expressisti, quia et tu dicere potes cum illa: *Eccc ancilla (vel mancipium) Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Hunc cultum specialiter exhibere studuit P. Desiderius Colinus ex S. J. hinc in ipso morbo ratione captus, si aliquid facere noluit, quamprimum id in nomine Mariae imperari audire, mox dixit: Absit, ut propter dilectissimam Matrem non obediam.

## Quarta pars.

Verum etiam quarta pars supradictae columnae non omittenda est, nimirum *statua virorum Draconem occidentium*: per hos enim significatur, quod si columnam hanc Sanctissimae Patronae erigere velimus, viri bellicosos esse debeamus, et infernalem Draconem superare; ipse enim est, de quo Deus Gen. m. dixit: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et tu insituberis calcaneo illius*. Ipse est, de quo S. Joannes in Apocalypsi c. xii. scripsit: *Et iratus est Draco in mulierem, et abiit facere praelium cum reliquis de semine ejus*. Quinam autem sunt semen hoc, nisi amatores illius? Quae mulier, nisi V. Sanctissima? Quis Draco nisi Diabolus, qui omnibus modis cupit deglutire hanc mulierem, eripiendo ex cordibus eorum: hinc aperte olim P. Baltasar Alvarez dixit, se ab eo impugnano desituerum, si ipse vicissim mulierem per imaginem, quam monstrabat, representatam ve-

nerari cessaret. Contra hunc ergo Draconem verus Amator S. Virginis tanto fortius certare debet, quanto majorem ex tali victoria fructum sperare potest; siquidem et de ipso verificabitur, quod S. Joannes in Apoc. c. ii. dixit: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novae Jerusalem, id est matris Dei, et iterum: Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitae, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus*. Unde SS. Patres plerumque amorem B. Virginis pro uno ex primariis signis praedestinationis agnoscunt.

## Quinta pars.

Denique ut perfecta sit columna nostra, etiam lucernae jungendae sunt, per quas nil aliud intelligi, quam quod omni studio etiam conari debeamus, ut non modo ipsi in amore B. Virginis quotidie, magis proficiamus, sed alios etiam, qua verbis, qua exemplis ad eandem amandam incitemus; cujus quidem exercitii variae nobis occasiones offeruntur. Quis enim non habet occasionem saepius Deo supplicandi, ut cultum hujus Sanctissimae Virginis in dies magis amplificare dignetur; atqui talis oratio merito inter efficacissima media numeratur, cultum virginium promovendi. Quis non quotidie fere occasionem habet unam alteramve animam purgatorii aut statim omnino liberandi, aut certe citius eripiendi, et ea quidem intentione, ut illa Deo potenter suppliceat pro eodem cultu Mariano amplificando? Atqui et hoc obsequium tanto gratius est Deo, et Matri Virgini, quanto praestantius est opus misericordiae et charitatis, cum quo conjungitur; quis non frequenter habet occasionem, saltem desiderium ardentissimum concipiendi, ut B. Virgini cultus et amor in toto orbe dilatetur? Atqui et hoc desiderium pro affectu accipit Deus, et diva mater, ubi vires plus non concedunt, ut nihil dicam de illis, qui aut liberos habent, ut parentes: aut famulos et ancillas, ut domini dominaeque: aut discipulos, ut magistri; hi enim quam copiosam habent occasionem, nunc verbis animando, nunc exemplo praevendo, nunc in templum ad Sacramenta in Virginis honorem obeunda, aut preces dicendas mittendo. Verbo, sicut ingeniosus est amor, ita nunquam ei dee-

runt variae inventiones ad cultum amato Dei parentis promovendum. Quilibet ergo sibi applicet illud Christi dictum MATH. v. *Sic luceat lux vestra (et amor Marianus) coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum (et Matrem) qui in caelis est*. Certoque confidant in illis hae ratione impletum iri, quod Eccl. xxiv. promissum est: *qui me elucidant, vitam aeternam habebunt*.

## Epilogus.

Atque ex his satis nunc patet, quomodo columnam spirituales Monacensi similem erigere debeatis. Superest, ut manum operi admoveatis, et unam partem post alteram adificetis. Profecto sic in medio vestri existens Virgo potentissima potentius vos, quam ulla salva guardia defendet: sed et copiosam vobis benedictionem afferet, quam olim Arca Dei domi Obedelem attulerit; quousque tandem, sicut olim columna Israelitas ex Aegypto eduxit, et introduxit in terram lacte et melle manantem, ita et vos hae columna ex hac miseriarum et lacrymarum valle educat, et in terram promissam aeternae felicitatis introducat. Amen.

*Quomodo conciones de B. Virgine in peregrinatione aut processione institui debeant.*

## Scopus.

Voluntas propria ad exemplum et honorem B. Virginis exuenda.

## Thema.

Eccc Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. i.

## Syllogismus principalis.

Tunc voluntas propria merito relinquenda est, quando hoc obsequium Deo et B. Virgini gratissimum est. Atqui est gratissimum, ergo merito relinquenda est.

## EXORDIUM.

Pia et antiqua consuetudo est, ut ii, qui sacram aliquam peregrinationem ad locum

aliquo miraculis, vel alio quocumque titulo celebrem instituunt, donum aliquod Sancto illi, cui talis locus vel templum dedicatum est, offerant, ad amorem suum copiosus demonstrandum; cum ergo et vos hodie cum magna devotione et modestia ad hoc B. Virgini consecratum templum peregrinati sitis, non dubito, quin et vos parati sitis liberalitatem vestram insigni aliquo dono erga hanc Sanctissimam Virginem demonstrandi; verum quid potissimum offerre debeatis, nescire vos credo, atque adeo ardentem ex me cupere intelligere; huic ergo desiderio ut satisfaciam, ostendam vobis in hac concione donum, quod et gratissimum ex omnibus B. Virgini sit futurum, et quod ab omnibus vobis, etiamsi pauperissimi sitis, facile, modo velit, offerri possit; id unum ergo superest, ut et me attendente audiat, et animos ad offerendum hoc donum interea præparetis.

#### Propositio.

Legitur in vita S. Ignatii Fundatoris Societatis Jesu I. c. quod, cum celesti lumine illustratus mundi vanitatem agnovisset, atque adeo penitus ei valedicere, totumque se Dei servitio tradere decrevisset, more militibus recepto, in monte Serrato noctem totam ante aram B. Virginis insomnem inter preces transegerit, armaque sua militaria, quibus mundo prius militarat, ante altare suspendendit, ut vel hoc actu ostenderet, et protestaretur, quod non jam deinceps mundo militare, sed alia arma assumere, præliaque Domini præliari decrevisset. Quam gratum fuerit Sanctissimæ Virgini hoc obsequium, eventus probavit, nam et miris consolationibus repletus est, et in alium virum mutatus singularem Dei sanctissimæque Matris eius assistentiam, et protectionem præcipue adversus carnis rebellionem, per totam reliquam vitam est expertus. Quod S. Ignatius visibiliter præstitit, idem ego a vobis invisibiliter et spiritualiter præstari cupio. Cupio, inquam, non ut noctem totam hoc in templo insomnem transigatis, sed ut arma, quibus haecenus Diabolo et mundo militastis, propriam scilicet voluntatem ad honorem Sacratissimæ Patronæ vestre suspendatis, quod ipsum, ut feliciter præstetis, sciendum imprimis est, quid sit voluntas propria; quam quidem bene S. Bernardus s. iii. de resurr. Dom. explicavit,

dum dixit: «Voluntas propria est, quæ non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum: quando, quod volumus, non ad honorem Dei, nec ad utilitatem proximi, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum.» Hæc ergo voluntas est instrumentum illud, quo potissimum mundo et Dæmoni haecenus militavimus, quoque toties Deum hominesque offendimus, uti recte idem Sanctus Bernardus ostendit, dum in cit. sermone dixit: «Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem descoviet enim ille ignis, nisi in propriam voluntatem? Nam propria voluntas Deum impugnat, et adversus eum extollitur; ipsa est, quæ paradisi spoliat, infernum ditat, sanguinem Christi evacuat, et ditioni Diaboli multum subjugat.» Hæc ergo voluntas hodie suspendetur a vobis, si firmissimum feceritis decretum, deinceps, non quod vobis gratiam, et volupte, sed quod Deo honorificum et placitum, vobis autem et proximo ad salutem vestram utile esse cognoveritis agendi, hoc donum aio, B. Virgini gratissimum, ejusque oblationem vobis utilissimam fore.

#### Confirmatio.

Et 4<sup>o</sup> quidem quod beate Virgini gratissimum sit futurum, vel ex eo patet, quod ipsa idem cum Deo iudicium et sensum habeat: atqui constat, Deo nihil esse gratius, quam propriæ voluntatis abnegationem, quod ipse I. Reg. xv. sat clare indicavit, dum per Samuelem Sauli dici jussit: *Nunquid vult Dominus holocausta, et victimas, et non potius, ut obediatur nomini Domini? melior est enim obedientia, quam victimæ, et auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* Id ipsum clare illuminatissimus Blosius c. ii. de inst. Spirit. confirmavit, dum dixit: «Nihil Deo gratius offerri potest, abnegatione propriæ voluntatis, quia homini nihil charius est voluntate, et arbitrii libertate.» hæc enim est quasi arbor et radix omnium operum et fructuum hominis: hæc clavis est ad omnia reliqua bona ipsius: hæc domina est omnium affectuum et potentiarum hominis: sicut ergo haud dubie multo gratius obsequium præstat, qui totam arborem donat, quam qui fructus tantum illius offert; qui clavem ad omnes divitias, quam qui par-

tem tantum tradit: qui Dominam ipsam, quam qui tantum pedissequas illius alterius dominio subiecit, ita dubitandum non est, gratius Deo, et consequenter etiam B. Virgini præstare obsequium, qui propriam voluntatem, quam qui aliud quocumque donum, velut fructum aut partem illius offert, quæ ipsa veritas alio adhuc exemplo non obscure confirmari potest, quod scilicet nullus tam perfectus amoris actus excogitari aut elici queat, quam quo suam Deo Divinitatem gratulamur, et quantum in nobis est, omni studio integram conservamus; hinc S. Augustinus vehementiam sui amoris explicaturus, non melius id præstare se posse censuit, quam si diceret, se, Divinitatem possidere, ipsam eam cessurum; hinc et senes in Apoc. n. 4. ponebant coronas suas ante thronum dicentes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem et virtutem, quia creasti omnia,* etc. atqui hanc Divinitatem nullus melius gratulatur Deo et conservat, quam qui propriam suam voluntatem relinquens ad nutum Dei vivit; nam, ut S. Anselmus recte advertit, solus Deus, quidquid vult, debet velle propria voluntate, ita ut aliam, quam sequatur, non habeat supra se; sicut ergo, cum homo vult aliquid per propriam voluntatem, suam quasi Deo coronam admittit, ita qui eam relinquit, et cum divina voluntate conformat, coronam suam ponit ante pedes Dei, atque ut ille totus tanquam Rex supremus eam possideat, optat, quod non potest non Deo gratissimum accidere.

Quod vero etiam nobis hæc oblatio sit utilissima futura, vel ex eo conicere possumus, quod, sicut Deus utpote summus zelator honoris sui non patitur se vinci liberalitate, ita neque passurus sit sibi et sanctissimæ Mariæ tam pretiosum donum offerri, quin majorem vicissim liberalitatem ipse vobis sit ostensusurus, eam nempe, quam, ut ante vidimus, S. Ignatius est expertus, et ipse olim S. Davidi promisit, dicens: *Inveni David virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Oleo sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur illi, et brachium meum confortabit eum,* quibus verbis insignes tres gratiæ, in quibus tota felicitas hominis consistit, indicantur; quarum prima illis verbis: *Oleo sancto meo unxi eum:* indicatur: oleum scilicet lætitiæ præ consortibus suis, ut Ps. xlv. ait, seu pax, quæ exsuperat omnem sensum. Hanc pacem Deus per Isaiam xlviii. promisit, dum dixit: *Utinam*

*attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Nam si radicem inordinatorum nostrum affectuum, per quos potissimum pax nostra turbatur, indagemus, deprehendemus, eam non aliam esse, quam propriam voluntatem, uti pulchre Abbas Pastor olim declaravit, dum quaesitus ab Erenim Abraham, cur Dæmones ipsum adeo oppugnant? Respondit: Non pugnant nobiscum Dæmones, quando nostras voluntates facimus, quia voluntates nostræ Dæmones facti sunt, et hæc sunt, quæ tribulant nos, ut faciamus eas, hæc ergo si vincantur, plena pax erit, atque adeo verificabitur illud Apoc. ii. *Vincenti dabo manna absconditum,* id est, voluntatem meam, quam omnem saporem afferet, quatenus semper habebit id, quod desiderat.

Secunda gratia indicatur per illa verba: *Manus enim mea auxiliabitur ei:* estque nihil aliud, quam copiosa gratia, quam Deus tali homini conferet ad omnia sua tam temporalia, quam spiritualia negotia rite feliciterque obeunda, ita ut de ipso, sicut de Sancto David dici possit I. Reg. xviii. *In omnibus quoque viis prudenter agebat, et Dominus erat cum eo.* Unde et ipse illud Christi suscipere poterit: *Et non reliquit me solum, quia, quæ placita sunt ei, facio semper.* Hoc est, quod Deus olim per Psalmistam Psal. i. significavit dicens de viro, qui non abiit post consilium impiorum voluntatem propriam sequentium, sed in lege Domini voluntas ejus, quod scilicet erit tanquam lignum juxta decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo, et omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur. Id quod Sanct. Ignatius post arma sua suspensa copiose est expertus; quis enim nescit, quam felices hic vir Sanctissimus progressus in omnibus negotiis suis sit sortitus? Quam prospere societatem suam condiderit? Quam magnis incrementis eam adhuc in terris existens adauctam viderit? Nimirum, quia vir secundum cor Dei erat, et omnes voluntates ejus, non suas faciebat, ideo non digitus tantum, quo minor gratia et auxilium significatur, sed manus qua voce copiosum auxilium denotatur, ei auxiliabatur.

Tertia gratia per ultima verba: *Et brachium meum confortabit eum:* indicatur, singularis scilicet protectio, qua Deus virum secundum cor suum defendit. Et vero id Deus copiose tam in S. Davide, quam in Sancto Ignatio ostendit; quis enim non legit aut au-

divit, quam multos gravesque inimicos hi viri habuerint? Quamque mirabiliter ab omnibus eorum insidiis fuerunt liberati, ita ut David tali auxilio confusus audacter Psal. xxii. dicere ausus sit: *Dominus protector vitæ mee, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Ecce cor meum dicit, quia scilicet cordi Deo unitum fuerat; quid mirum ergo, si illud tam fortiter defenderit Deus; si enim ipse per Salomonem Prov. iv. dixit: *Omni custodia serva cor tuum: quidni etiam virum secundum cor suum ipse omni custodia defendat?* Nimirum hic illud S. Pauli Rom. viii. implebitur: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* hic locum habet illa S. Petri I. c. iii. adhortatio: *Qui est, qui noceat vobis, si boni emulatores fueritis?* hic verificabitur illa Psalmistæ Ps. xxxvi. propheta: *Lex Dei ejus in corde illius, et non supplantabuntur gressus ejus.* Ut adeo merito tali homini illam S. Augustini exhortationem applicare possimus: *Quid timet homo in sinu (et in corde) Dei positus? Tu de sinu illius noli cadere, et quidquid tibi evenerit, in bonum, non in malum cedet. Imo cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos convertet ad pacem,* teste Salomone, Prov. xvi.

#### Epilogus.

Quæ cum ita sint, audiamus S. Paulum ad Rom. xii. monentem: *Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, bene placens, et perfecta.* Audiamus prudens consilium sancti Dorothei. s. xvii. « Coge te ipsum in emetis, et vince, et voluntatem tuam imprimis abscide: si enim consueveris voluntatem tuam amputare, habitum indues, Christi gratia et misericordia, quæ omnia sine molestia et repugnantia perficies, teque in libertatem perfectam asseres. » Accedamus ergo ad altare B. Virginis, flectamus genua cordis nostri, dicamus cum S. Hieron. in Epist. loquentem audit: « Quæcumque virtute polleas ( seu quæcumque obsequia Virgini offeras ) quibuscumque opibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahis, » atque adeo se cum integerrimo Juvene Joanne Soc. Jesu se ad castitatem excitet dicens: « Si vis esse Filius Beatissimæ Virginis (eximius cultor) zelator esto castitatis tuæ. »

qui multum peregrinantur, raro sanctificantur, sed multum sanctificantur, multum consolantur, multum protegentur, et tandem etiam multum præmiabuntur, quod nobis omnibus per merita S. Dei Genitricis concedere dignetur SS. Trinitas P. F. et Sp. S. Amen.

Nota similem in modum facile plures ejusmodi conceptus formari pro tali concione posse.

Et 1º quidem ostendi potest, quomodo cereum candidum in honorem hujus SS. Virginis (idem etiam ad aliorum Sanctorum honorem fieri potest) offerre queant seipsos scilicet, cum et B. Virgo suo modo erga nos usurpet illud Thomæ Kemp. l. V. c. viii. « Quid magis a te requiro, quam ut studeas te mihi ex integro resignare? quidquid præter te ipsum das, nihil curo, quia non quod datum tuum, sed te. » Ostendatur ergo, quomodo constitutus debeat esse hic cereus, quod videlicet tres partes habere debeat, sicut cereus materialis. 1º *Ceram candidissimam, et pulchris, amoenisque coloribus ornata;* per quam nihil aliud intelligitur, quam corpus nostrum dono castitatis præditum, et exteriori etiam morum et conversationis decencia seu modestia instructum; quantopere enim hanc decenciam a nobis requirit Virgo Sanctissima, sat clare aliquando Musæ virguncule ostendit, cui, cum aliquando cum coevis puellis apparuisset, et num secum vivere vellet, quasisset, Musæque intrepide, id unico se desiderare affirmasset; subiecit ipsa: « Non poteris in meum consortium admitti, nisi has et illas levitates et jocos correxeris, » que admonitione respiciens Musa, cum mores suos egregie emendasset, a redeunte post viginti dies Virginem in cælum assumpta est, ut fusus in spec. Exempl. tit. Maria. ex. i. videre est. Si ergo tantopere etiam solam exteriorum immodestiam aversatur Virgo Sanctissima, quanto magis ipsam corporis luxuriam detestabitur; ut adeo merito sibi quisque S. Hieron. in Epist. loquentem audit: « Quæcumque virtute polleas ( seu quæcumque obsequia Virgini offeras ) quibuscumque opibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahis, » atque adeo se cum integerrimo Juvene Joanne Soc. Jesu se ad castitatem excitet dicens: « Si vis esse Filius Beatissimæ Virginis (eximius cultor) zelator esto castitatis tuæ. »

2º Ostendi potest, quomodo etiam lych-

num tenerrimum et candidissimum parere debeant, id est, animam quæ a corpore sicut a cera lychnus circumdatur, purissimam, seu ab omni peccato non tantum mortali, sed etiam, quantum fieri per humanam fragilitatem potest, veniali liberam, ut de ipsis perinde ac de B. V. dici possit: *Tota pulchra es, Amica mea, et macula non est in te.* Si enim etiam in terris matres pulchre filios pulchros habere gestiunt, quanto magis hæc purissima, et ab omni etiam originali macula libera Virgo tales habere cupiet; absque hæc sane puritate parum reliqua obsequia placebunt, uti exemplo juvenis immundo pectore preces persolventis supra indicato probari potest. 3º Denique ostendi potest, quomodo luminis ad cereum requisiti loco amorem ardentem erga SS. hanc Virginem substituere debeant, cujus quidem amoris officia recte per amorem demonstrantur; ut enim: 1º Lumen omnia illustrat, et pulchritudinem ejusque rei ostendit; ita amoris erga B. Virginem primum officium est, magnam de illa estimationem concipere, illudque S. Hieronymi Ser. de Assumpt. testimonium firmiter credere: « Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur creatura perfecta, quantumcumque virtutibus eximia comprobetur. » 2º Sicut lumen semper sursum tendit, ita et amor per fiduciam in omni casu, quo vel gratia petenda, vel malum deprecandum, conceptus, uti S. Bernardus in Ser. de aqueductu hortatur dicens: « Modicum illud, quod offerre desideras, gratiosissimis, et omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. » De qua profecto fiducia merito sibi quisque suo modo illam ejusdem Sancti in Psal. « Qui habitat, sententiam dictam putare debet: Tantum per os operabitur Deus (et Mater Dei impetrabit) quantum se nostra ad eum fiducia extendet. » 3º Sicut lumen continet magnum calorem, ita et amor magnum fervorem in obsequiis ad B. Virgini honorem destinatis ( quorum aliqua enumerari possumus ) in quo officio præstando exemplum Francisci Godoy Religiosi e Societate Jesu ob oculos habendum, qui, cum semper ollas in culina nitidissime purgaret, causam rogatus respondit, se mane omnia opera sua B. V. offerre, ac proin indecens fore, si quid non egregie nitidum ei consecraret. Merito ergo in hoc cultu quisque consilium Siracidis e. ii.

ob oculos habere debet: « In omni opere tuo precellens esto, et ne des maculam gloriae tuæ, » quæ in eo consistit, quod eximius cultor B. Virginis existas, et dicaris. Excitentur proin Auditores, ut hunc cereum in manus sumant, cum magna reverentia offerant, et, ut nunquam extinguatur, sollicito procurent, Christi saluberrimum monitum MATTH. v. sequentes: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum (Matrem) qui in cælis est.*

II. Ex occasione thematis: *Rogo ergo vos, imitatores mei estote,* I. Cor. iv. dici potest, multos esse, qui in peregrinationibus tabulam beneficii accepti memorem, in qua B. Virgo depicta sit, appendunt; hæc autem cultum multo perfectius persolvere eos, qui spirituales tabulam per imitationem B. Virginis appendere student; hæc enim tabulam ipsi gratissimam esse, uti S. Ildephonsus Ser. 4. de Assumpt. ostendit dicens: « Igitur dilectissimi, amate Mariam, quam colitis; colite, quam amatis; quia tunc vere colitis, quam amatis; si imitari volitis ex toto corde, quam amatis. » Itaque tota concio in duas partes dividi potest. Et in prima quidem ostendi, in quo imitari maxime debeamus; quem in finem serviet sententia S. Ambrosii Ser. de Virg. dicentis: « Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitæque B. Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primum discendi ardor nobilitas est magistri? Quid nobilior Dei Matre? Quid splendidius ea, quam Splendor elegit? Quid castius ea, que corpus sine corporis contagione generavit? » Ita sane S. Hedvigis Ducissa Polonie fecit, ut in vita illius 15. Octobr. referatur, que continuo auream imaginem B. V. in manibus portabat, ut, quoties eam aspiceret, tum ad debitum illi cultum præstandum; tum ad præclaras virtutes illius imitandas incitaretur. Unde et in morte tam fortiter eam tenuit, ut nulla vi eripi poterit, imo tres digiti, quibus eam tenuit, per viginti annos incurrupti manserint. Simili ergo modo nos B. Virginem in pectore tenentes, eamdem nobis cit. S. Pauli verba dicere credamus: *Rogo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi,* præcipue in obedientia usque ad mortem Cæcis; hic

enim maxime repetit, quod in Cane Galilæa nuptiis olim dixerat: *Quodcumque dixerit vobis, servate, et facite.* In secunda parte ostendatur fructus hujus imitationis, quem quidem in genere indicavit S. Ildephonsus s. l. de Assumpt. dicens: « Imitamini Matrem Virginem et Sanctos omnes, quos laudatis, quoniam non tantum prodest ipsis nostra laudatio, quam nobis eorum imitatio. » Et confirmavit S. Bernardus in s. super Salve Reg. « Agnoscit Virgo, et diligit diligentes se, et prope est invocantibus se, presertim iis, quos videt conformes sibi factos in castitate et humilitate. » In specie vero hunc fructum declaravit ipsa sanctissima Virgo, quando proferens quemdam, qui imaginem ipsius, quam poterat, artificiosissime, Dæmonis vero speciem turpissimam effinxerat, post subtractam a Dæmone pegma, manus ad imaginem elevantem tandem manu extensa in aere suspensum tenuit, donec hominis miraculo attoniti de muro eum deposuerunt, uti fusiis in Spec. Exempl. ex. v. tit. Maria refertur. Si ergo B. Virgo tam sollicita a lapsu conservavit illum, qui materialibus illam coloribus depinxit; quanto magis eum, qui spiritualibus illam coloribus per imitationem eximie exprimere conabatur, a triplici lapsu, in adversum casum, in peccatum, in infernum tutabitur. Ut uno alterove exemplo, maxime illius Juveni Brabantici probari potest, qui, quia quotidie tres quinquagenas in honorem B. Virginis persolverat, post mortem jam jamque damnandus fuisset, nisi ob preces dictæ Virginis resuscitatus penitentiam agere potuisset, uti in Spec. Ex. v. bona injusta. ex. iii. fusiis refertur. Excitandus itaque Auditor, ut ad imitationem hanc totis viribus se accingat, eandemque velut pulcherrimam tabulam B. Virginis offerat, non dubitans, quin gratissimum anathema antiquorum beneficiorum, et conciliatrix optima novorum sit futura. Sit ergo finalis conclusio. « Quicumque sibi Marice optat præmiū imitetur exemplum. »

III. Ex occasione thematis: *Vincenti dabo manna absconditum, et nomen novum.* AROC. II. dici potest, laudabilem quorundam consuetudinem esse, ut coronas argenteas vel aureas unioibus, gemmisve distinctas in templo, ad quod peregrinantur, appendant, sed hanc consuetudinem a paucis ob divitiarum defectum observari posse, aliam proinde ostendam coronam, quæ et gratior longe sit B. Virgini, (aut alteri Sancto) futura, et

cujus oblatio etiam ipsis offerentibus multo utilior et honorifica sit exitura, scilicet *Victoriam sui ipsius*; quæ omnia proin paulo fusiis erunt demonstranda. Et 1<sup>o</sup> quidem ostendatur, in quo consistat hæc victoria suiipsius, scilicet in hoc, quod inordinatam concupiscentiam rei cujuscumque create, ad quam magis inclinari nos advertimus, superemus; uti recte Thomas de Kempis l. III. c. LVII. ostendit dicens: « Perfecta victoria est de semetipso triumphare; qui enim semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, et ratio in cunctis obediat mihi, hic vere victor est sui, et Dominus mundi. » Cum autem difficile sit tot vitia, quibus interdum aliquis subjectus est, simul superare, ideo imitandum est exemplum Horatii Romani militis, qui, cum Romanus et Albanus exercitus hoc inter se pactum fecissent, ut tres ex quovis exercitu seligerentur, eaque conditione inter se certarent, ut, quicumque ex his ternariis succumberet, illius etiam exercitus exercitum, ad quem viatores pertinebant, victorem agnosceret, ejusque se potestati subiceret, videns fratres suos itidem Horatios jam succubuisse, ex altera tamen parte tres fratres Curatios ad Albanum exercitum pertinentes inequaliter vulneratos esse, fugam simulavit et dum primum Curiatium, nupte minus lesam, celerius aliis sequentem advertit, subito se convertit, eumque gladio transfodit, eumque modum etiam cum secundo citius subsequente tenens, tandem, quia solus tertius, maximeque per vulnera debilitatus supererat, etiam hunc facile superavit. Certe ad hunc finem Examen particulare salubriter ab Ascetis excogitatum est, cujus scopus est uni vitio extrinsecando, et quidem illi, quod præ aliis magis nobis aut aliis nocet, speciale curam adhibere, sibi que illud Regis Syriæ II. Par. cap. XXVII. præceptum applicare: *Ne pugnetis contra maximum, aut minimum, sed contra solum Regem*, sic enim perinde victoriam contra alia quoque vitia facile obtinebit; sicut David devicto Goliatho, et Bethulienens occiso Holoferne Duce non difficulter reliquum exercitum vicerunt. In secunda parte ostendatur, quod imprimis hæc corona Deo et B. Virgini sit gratissima futura: id quod facile ex Abrahami Patriarchæ exemplo colligitur, qui, quia seipsum tam generose vicit in naturali amore erga filium dilectum Isaac expugnando, audire a Deo meruit: *Per memetipsum juravi, quia fecisti rem hanc, et non*

*pepercisti unigenito tuo filio propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.* Quanto magis Deo et B. Virgini placebit, si quis semetipsum generose vincere, Deoque in holocaustum gratisimum offerre studeat.

Deinde pariter ostendatur, quod hæc victoria ipsi victori utilissima sit futura, quia, ut recte pius Auctor l. I. c. XXV. advertit, ibi homo pius proficit, et gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, et in spiritu mortificat. Ut adeo in tali victore impleatur, quod I. REG. XVII. Davidi responsum est: *Virum, qui percusserit Philisthæum, dabitur Rex divitiis multis, illis videlicet, de quibus S. Bernardus ait: « Vere divitiæ non opes sunt, sed virtutes quas secum conscientia portat, ut in æternum dives fiat. »* Sed non utilis dumtaxat, sed summe etiam honorifica et gloriosa hæc victoria quod sit futura, colligitur ex Judith Holofernem videntis exemplo, quæ propter talem victoriam magna facta est in Jerusalem, et præclarior erat universe terræ Israel, uti Jud. c. ult. legitur; quanto magis talis honor ob victoriam sui ipsius, quæ omnium victoria-rum maxima a sapientibus aestimatur, sperari poterit? Certe hoc tam copiose promissiones a Deo Apocalypsi c. n. et III. factæ indicant: *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Qui voverit, faciam illum columnam in templo Dei mei; vestietur vestimentis albis, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus.* Et tandem *Dabo ei sedere mecum in throno meo, annon ergo quivis seipsum illis Josephi et Azaræ i. Mach. v. verbis alloquatur: Faciamus et ipsi nobis nomen, et pugnemus contra gentes (et vitia) quæ in circuitu nostro sunt.* Maxime cum summam etiam jucunditatem et lætitiā ex tali victoria sperare possimus; uti Deus ipse per mannae promissionem indicavit; et Sponsus quoque de Sponsa CAST. VII. fassus est dicens: *Quam pulchra es et decora charissima in deliciis. Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.* Quid enim per botros istos, nisi lætitiæ intermedie vinum significatur, de quo recte Thomas Kemp. l. III. c. XXXI. dixit: *Utinam tecum sic esset, et ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, (sed potius te vinceres, et rationi subjeceres) tunc mihi valde placeres. et tota vita tua in gaudio et pace*

*transiret.* Perinde fere, sicut de Juditha post victum Holofernem dictum est, *Faciet autem populus jucundum secundum faciem Sancto-rum: et tempore Judith nemo persequabatur Israel.* Excitentur ergo Auditores ad hanc coronam B. V. offerendam, dicendumque cum Davide Ps. XVII. *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar, donec deficiant.* Ut et cum S. Paulo I. Tim. IV. dicere olim queant: *Bonum certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.*

IV. Ex occasione thematis: *Vidimus stellam ejus in oriente, et venimus cum numeribus adorare Dominum:* dici potest, laudabilem quidem esse consuetudinem Ecclesie, quod certis temporibus peregrinationes sacras instituat; sed non semper optatum ex talibus peregrinationibus fructum reportari; unde natum proverbium illud: *Qui multum peregrinantur, raro sanctificantur.* Ne ergo idem de Auditoribus quomodo dici queat, dicte ostensurum, quomodo peregrinationes tales recte et cum fructu obiri debeant, ad modum scilicet primæ peregrinationis ad Christum a tribus magis instituta, qui pulchre suo exemplo docuerunt, quid ante peregrinationem, quid in illa, et quid post illam sit observandum. Nam 1<sup>o</sup> ante illam bonum finem et intentionem sibi præsigebant, nihil aliud querendo, nisi ut possent Christum cum Matre sua salutare et adorare; ita enim ipsi indicauerunt inquirentes: *Ubi est, qui natus est, Rex Judæorum, vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum?* Hæc ergo intentio tanto diligentius præsigenda est, quanto magis dolendum est, tam multas, gravesque molestias, quæ in tali peregrinatione tolerandæ sunt, sine optato fructu et merito suscipi, uti fieret, si bona intentio non præcederet, hic namque locum haberet illud Christi effatum MATTH. VI. *Si oculus tuus (et intentio) nequam fuerit, totum corpus (peregrinationis tuæ) tenebrosum (seu infructuosum) erit.* Et ex hoc videlicet capite sæpe contingit, ut multum peregrinentur, et tamen raro sanctificentur; vere enim de peregrinantibus suo modo dici potest, quod S. Bernardus alicubi de scientiam sectantibus dixit: « Alii scribere volunt (aut peregrinari) ut sciant, » et tum locum ipsum, ad quem tendunt, tum thesaurum ipsius vel alia visa digniora cognos-

cant, « Et curiositas est; alii, ut sciantur, » et ab amicis et cognatis iterum aliquando videantur, et bene habeantur, « Et vanitas est, alii, ut edificentur, » id est, tum per reverentiam loci ad pietatem, vitæque emendationem incitentur; tum variorum honorum collationem, aut malorum amotionem impetrent, « Et prudentia est; alii ut ædificent, » id est, vel bonum exemplum præbeant, aut pro aliis apud B. Virginem, aliosve Sanctos intercedant, « Et Caritas est. » Quare si usquam alibi, observandum erit in his peregrinationibus Apostoli Pauli monitum: *Sive manducatis, sive bibitis; sive aliud quid facitis, omnis in gloriam Dei facite.* I. Con x. quem in finem in ipso mox peregrinationis sacræ initio talis intentio in memoria revocetur, dum dicitur: *Procedamus in nomine Domini.* 2<sup>o</sup> In ipsa peregrinatione stellam ducentem diligenter secuti sunt, et, ubi ad præsepe venerunt, procidentes adoraverunt Christum, et munera, aurum, thus, et myrrham obtulerunt; simulque pulcherrimo iterum exemplo docuerunt, quomodo peregrini se in sacra peregrinatione gerere debeant; sequendo scilicet vexillum velut Ducentem suum, nec a turba aliorum committum se separando: deinde vero in ipso loco et termino peregrinationis non circumcursando per templum aut plateas, omniaque curiose lustrando, sed procidendo in genua, Deumque et B. Virginem religiose salutando, et adorando. Et tandem munera, nempe thus devotæ orationis, et communio- nis, aurum charitatis per contritionem et penitentiam renovatæ, myrrham mortificationis vel patientiæ in tolerandis peregrinationis molestiis. 3<sup>o</sup> Post peregrinationem per aliam viam reversi sunt in regionem suam; id quod et peregrini facere debent per seriam vitæ emendationem, ita ut, sicut de adolescente quodam malam cum muliere quâpiam consuetudinem habente refertur, quod, cum in peregrinis provinciis profectus, ex his in patriam fuisse reversus, et mulier illa obvians quassisset, an eam non amplius nosset, se enim esse illam, quam olim tantopere deperisset, responderit; *Ast ego non sum ego; sed totus mutatus, ita et ipsi de se hoc dicere possint, atque adeo exclamare cum S. Paulo: Vivo autem jam non ego, civit vero in me Christus, ut gratiam et bonam conversationem.*

V. Ex occasione thematis: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens,*

*pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* CANT. VI. dici potest hanc sententiam merito Turbæ ad sacra loca peregrinanti (dem Ereutzvolck) applicari posse, utpote quæ et ipsa sit quasi aurora consurgens, dum optima intentione suscipit peregrinationem: *pulchra ut luna,* propter splendorem in apparatu vexillorum, imaginum sacrarum, reliquiarum portatarum, etc. *electa ut sol,* propter exemplum illustre devotionis et modestiæ in itinere et reditu observate; sed præcipuè *terribilis ut castrorum acies ordinata;* cum et finis ipsius non alius sit, quam Deum et Sanctos expugnare ad varias gratias conferendas, vel mala avertenda; et omnia, quæ in talibus peregrinationibus fieri solent, valde magnam habent similitudinem cum exercitu. Quid aliud Crux prælata aliud nisi vexillum significat, sub quo militare debeamus, et audacter dicere: *Ecce Crucem Domini; fugite partes adcersæ.* Et iterum: *Vexilla Crucis prodeunt, fulget Crucis mysterium?* Quid aliud oratio et cantus nisi militare carmen indicat? Quid aliud libelli precatorii nisi pharetram, ex qua orationes variæ velut tela acutissima cælum penetrantia desumuntur? Quid globuli sacri Rosarii nisi pilas minores? Quid sacra hostia oblata nisi pilas majores? Quid baculi in manibus nisi gladios? quid condo nisi adhortationem ad prælium? Quid cerei nisi funes igniarios (Zandstrick) significant; unde merito concludunt aliqui, tunc sacram peregrinationem fructuose et recte prælatam iri, si omnia, quæ in exercitu bene constituto reperiantur, observentur. Nam sicut 1<sup>o</sup> in exercitu oportet omnes milites bene sanos et validos esse, ita peregrinos quoque non tam quoad corpus, quam quoad animam sanos, id est, in gratia Dei constitutos esse decet; aliqui verificabitur, quod S. Gregorius in Pastor. dixit: « Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur; » unde et Evangelicus cæcus JOAN. VIII. dixit: *Scimus, quia peccatores Deus non audit,* nam, ut idem sanctus Gregorius sapienter advertit, « Dignum profecto est, ut ab ejus beneficiis extraneus existat, cujus jussio- nibus non vult esse subjectus. » Quare merito talis turba peregrinans timere potest, ne audire cogatur, quod Josue VII. c. exercitus Israëliticus audivit: *Anathema (sive peccator) in medio tuæ Israel, non poteris stare coram hostibus (aut Deo, et Sanctis) donec*

*deleatur ex te, qui hoc contemnatu est scelere.* Eum in finem toties *Kyrie eleison, Pater de cælis Deus, miserere nobis,* etc. ingeminatur, ut omnes meminerint cum Deo in gratiam redire. 2<sup>o</sup> Sicut in exercitu debent multi, et quidem non gregarii dumtaxat milites, sed etiam Duces comparere; ita et in processione sacra non tantum plebei, sed etiam magistratus, et nobiles comitari debent vexillum; quod bene notent. 1<sup>o</sup> Illi, qui putant ejusmodi processiones ad solos rusticos, famulos, aliosque viliores homines pertinere; hi enim merito vereri debent, ne contingat illis, quod olim marito contigit, qui, quia nihil orabat, dicere solitus, uxorem suam pro se orare, quondam in raptu vidit se ante cæli portam cum uxore et multis aliis consistere, cumque uxore et aliis intramissis, etiam ipse intrare vellet, audivit dici sibi a janitore: *Uxorem, sicut loco ipsius oravit, ita loco ipsius quoque cælum ingressam esse.* His profecto dicit Christus illud Luc. IX. *Qui me erubuerit, hinc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate Patris sui.* Sicque verificabitur suo modo, quod S. Augustinus olim cum gemitu dixit: « Surgunt indocti, et cælum rapiunt, et nos doctrina nostra (seu nobilitate aut dignitate) volutamur in carne et sanguine. » His ergo ob oculos versari debet exemplum S. Caroli Boromei, S. Elisabethæ Landgraviæ Thuringiæ, Ludovici Regis Alemanniæ, qui non modo cum summa devotione interesse talibus Processionibus, sed nudis etiam pedibus eas obire voluerunt. Thomas Morus vero Cancellarius Regni Angliæ ipse crucem præferre non erubuit, et nunquam equo uti voluit dicens: « Nolo Dominum meum peditem eques sequi. » Notent 2<sup>o</sup> id ipsum illi, qui irridere ejusmodi peregrinationes velut superstitiones aut supervacaneas non horrent, hi profecto merito timere debent, ne sicut olim Michol irridens Davidem coram arca saltantem, sterilibus facta est, ita ipsi quoque steriles in bonis operibus efficiantur: aut ne omnino eveniat, quod Hæretico in Westphalia evenit, qui, quia Catholicorum supplicationem irrisit, subita febre correptus est, Demoni- que se jamjam tradendum exclamavit, uti fusius Pædagogus Christ. p. II. c. XIV. § 4. refert. 3<sup>o</sup> Sicut milites bonum ordinem servare debent; ita et peregrinantes curare, ut bini vel terni incedant; talis quippe ordo ad triplicem finem conducit. 1<sup>o</sup> Ad edificatio-

nem, ut discrimen sit inter agmen Christianorum et brutorum temere exevantium. 2<sup>o</sup> Ad decentiam; decet enim, ut Christum in Cruce præeuntem cum modestia sequantur, cum dictum sit a S. Gregorio Nazianz. ep. CLXXXIII. « Ubi Christus est, ibi modestia quoque est. » 3<sup>o</sup> Ad propriam devotionem promovendam; nam, ut S. Bernardus ser. II. de purif. ait: « Turbat processionem, si quis solitarius incedere curat, nec sibi soli nocet, sed et cæteris est molestus. Hi sunt, qui segregant senectipsos, animales, spiritum non habentes, nec solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. » Tales ergo ob oculos habere debent exemplum, quod de asinis in campo versantibus Orlandinus in historia Societatis ad annum MDXXXVII. scribit, quod scilicet, cum Sacerdos quidam Eucharistiam ad ægrotum sine pompa, et comitatu deferret, illi ex utroque viâ latere repente discreti in genua proceriderint, et pulchro ordine præeuntem usque ad edes infirmi comitati sint, nec prius discesserint, quam egressus Sacerdos ad sua illos pasqua cum benedictione dimiserit. 4<sup>o</sup> Sicut milites, ut fortiores sint, conjuncti et bene concordés esse debent; ita et peregrinantes per charitatem fraternam bene unitos et conjunctos esse oportet; cum enim Christus MATTH. XVII. dixerit: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est.* Quidni multitudo peregrinantium quoque, si bene per charitatem consentiat, omnia, quæ petere statuit, facile se impetraturum confidat? Quod bene notare debent, qui inimicos habent, et ignoscere nolunt; hi namque plane dissipant hunc exercitum, et infirmum faciunt; quomodo enim placari potest Deus, si ipsi erga quomodo non placentur? Quomodo vultum benignum ab ipso sperare possunt; si ipsi torve proximum aspiciant? Quomodo dimissionem peccatorum petere, si ipsi non dimittant? Quomodo varia donâ et gratias postulare, si charitatem ipsi negent? Quilibet ergo sibi applicet illud Christi MATTH. V. « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offers munus tuum. » 5<sup>o</sup> Sicut milites in exercitu armis bene instructi esse debent; ita et peregrinantes, talia autem arma sunt Rosaria, libelli precatorii, vel quæcumque aliæ orationes,

sedulo et ferventer usurpate; ad hunc finem sane varia litanie et alie cantiones præcitantur, imagine Sactorum et Christi præferuntur, cerei accenduntur, sacrificium offertur, concio habetur. Unde graviter errant, qui loco templorum hospitia frequentant; loco sacre confessionis et communionis commensationibus vacant; loco B. Virginis amasias salutant; loco cantionis aut orationis lusu se recreant; hi profecto merito timere possunt, ne accidat, quod in monte Beatae Virginis anno 1622. evenit, dum 1500. personæ peregrinæ flammis ob peccata in hospitio perpetrata perierunt, ipsaque B. Virgo visa est flammis subdere, uti fusiis iterum apud Pœdag. Christ. p. II. c. XIV. § 4. videre est. 6<sup>o</sup> Sicut milites ante finem prælii e campo discedere non debent; obtenta vero victoria gratias agere, et spolia dividere; ita et peregrinos a societate et Vexillo discedere non oportet, donec domum redierint; atque adeo illud Christi MAT. X. ob oculos habendum: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* id est, fructum sacre peregrinationi præfixum obtinebit. Sed et gratias agere pro donis impetratis decet, quod quidem meliori modo præstari non potest, quam si quis donis obtentis bene utatur. Impetrasti ergo peccatorum remissionem? Cave, ne relabaris; impetrasti gratiam? Cave, ne amittas; impetrasti pluviam, et fruges bonas? Cave, ne male utaris; impetrasti liberationem ab incendio? Cave, ne domo salvata abutaris ad vitia, et ignem æternum accendendum; impetrasti varia dona? Participa cum proximo per elemosynam, et memento, quid dixerit Tobias c. XI. *Bona est oratio* (et peregrinatio) *cum jejuniis et elemosyna.* Ad hæc ergo executioni mandanda excitentur Auditores, certoque sibi persuadere jubeantur, quod victoriam obtenturi, et id, quod petunt, a Deo et Sanctis obtenturi sint; sique tali modo contra Deum prævaluerint, quanto magis contra homines prævalebunt, ut olim GEN. XXXII. Angelus Jacobi dixit. Sic tandem mutabitur proverbium, diciturque cum veritate: Qui multum peregrinantur, multum sanctificantur, benedicuntur, proteguntur, a Deo et Sanctis diliguntur, et variis donis qua temporalibus, qua æternis exornantur.

VI. Ex occasione thematicis: *Ascendentes illis secundum consuetudinem diei Festi, remansit purus Jesus in Jerusalem.* LUC. II. ostendi potest imprimis antiquitas peregrinationum, utpote quæ ab ipso jam Christo

et parentibus illius secundum consuetudinem Judæorum fuerint frequentata. Deinde vero et præcipue ostendi potest utilitas earumdem ex eo, quod omnes conditiones, quæ ad impetrandum aliquid a Deo (ob quam impetrationem potissimum peregrinationes instituntur) requiri possunt, in peregrinatione diligenter observentur. Si enim 1<sup>o</sup> oratio tanto est gratior et efficacior, quanto gratior est ille, per quem offertur (uti in exemplo Bersabæe, et Estheris patet, quarum illa Filio Salomoni regnum, ista liberationem populi sui impetravit) quidni merito B. Virginis Patrocinium in loco, in quo magis propitiæ se exhibere solet, agiatur, et per eam varia dona a Deo petantur, et sperentur? Annon enim hic merito illa S. Bernardi sententia ob oculos habetur: « Modicum illud, quod offerre desideras, gratiosissimis, et omni acceptatione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam? » 2<sup>o</sup> Si non parum juvat ad orationem, si plures simul orent (hoc enim Christus ipse indicavit MAT. XVIII. *Si duo consenserint*, etc. et confirmat S. Ambrosius l. de pen. dicens: « Multi minimi, dum congregantur unanimis, sunt magni, et multorum iterum impossibile est non audiri. » Annon iterum peregrinationes singularem orationi efficaciam addent, ubi tam multi congregantur, et unanimis sua vota, precesque Deo offerunt? Hoc sane firmiter jam olim Bethulienses cives credebant, qui cum in manifesto periculo interitus constitutos se cernerent, convocatus est omnis populus, et per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a Deo Israel. JUDITH. c. VI. Eundem ob finem Propheta Joel c. II. clamavit: « Vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera. Inter vestibulum et altare stabunt Sacerdotes Ministri Domini, et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo. » 3<sup>o</sup> Si juxta Siracidem c. XXXV. « Oratio humilientis se penetrabit nubes, et, donec propinquet, non consolabitur; et non discedet, donec altissimus aspiciat; » annon iterum ex hoc capite peregrinationes multum utiles et efficaces censebuntur ad orationem Deo gratiam efficiendam, utpote quæ plerumque pedibus non sine magna demissione, licet equi et currus multis suppetent, peraguntur. Sic sane S. David II. REG. c. XV. ascendebat Clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens, et aperto capite; et omnis

populus, qui erat cum eo, aperto capite ascendebat plorans. Sed et ipse Christus LUC. XXII. egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum, et positus genibus orabat. Ne vero etiam nostrorum temporum exempla desint, ex quibus colligatur, quod efficaces sint ejus modi processiones ad ea, quæ a Deo petuntur, impetranda, memorabile in primis est, quod ex Nicolao Serrario Pœdagogus Christianus p. II. c. XIV. §. 4. refert, quod scilicet in insula Chio Christiani circa annum 1600. cum summa in illo loco siccitas reperiretur, et tam Turcæ, quam Judæi et Græci Schismatici precibus et clamoribus suis, eo fine indictis frustra pluviam impetrare conati fuissent, processione cum imagine B. Virginis in vicinum collem instituta tam copiosam impetrarint, ut ipsimet Turcæ pluviam talem velut evidentissimum Dei donum manibus exciperent, et exoscularentur, nonnulli vero ex ipsis etiam in adem Catholicorum venirent, et ad imaginem magnæ Dei Matris venerabundi procumberent. Aliud non minus memorabile de S. Porphyrio refert idem Pœdagogus, quod scilicet cum cives Gazæ urbis septem diebus frustra a suo Idolo pluviam petissent, ipse ductis 280. Christianis ad templum S. Asclepiæ Episcopi, et S. Timothei tam copiosas etiam pluvias impetravit, ut ne gentiles quidem dubitarent, precibus Christianorum has pluvias fuisse impetratas, ideoque portis, quas eis e templo revertentibus occluserant, reseratis passim clamarent: *Christus solus Deus, ipse solus vicit*: ipsosque Christianos ad templum pro agendis gratis secuti sint, 176. eorum ad fidem Catholicam conversis. Quis vero nescit mirabilem effectum, quem S. Gregorius Magnus per processionem a se pro avertenda sævissima peste institutam obtinuit, dum scilicet Angelum in castro stantem, et evaginatum gladium in vagina recedentem vidit, et mox pestis grassari desinit. Fecit nimirum Deus in similibus casibus, quod S. Henricus Imperator, teste Radero in Aula sancta c. XXIV. fecisse dicitur, qui, cum urbem Trojam obsideret, et illam solo se equaturum jurasset, omnibus masculis in furcam actis, processione ab ipsis obsessis cum prælata Cruce instituta, et pueris lacrymabili voce Kyrie eleison clamantibus adeo commotus est, ut illacrymans dixerit: *Mi-eror super turbam*; et mox urbi pepererit. Quis ergo processiones non magni aestimet, libenter suscipiat, et religiose pe-

ragat? Quæ itaque, queso, causa est, cur quandoque talibus processionibus tam pauci intersint? Vereor sane, ne iterum dici queat: *Et ceperunt se omnes excusare*: nam 1<sup>o</sup> aliqui frivolum illud pronuntiabunt: *Quid dicunt homines?* Si ego in tanta dignitate, auctoritate, aut nobilitate constitutus, plebeia turba me associem, Rosarium in manibus portem, et aperto capite, pedibus Sacerdotem et Crucem sequar? Hos profecto non melius refutare possum, quam Davidis exemplo, qui, ut II. REG. VI. legitur, cum deposito cultu regio, amiculum lineum induisset, et aram pio ac gestiente corpore et animo committatus fuisset, irrisus licet ab uxore Michol, non destitit a proposito, sed in has notata dignissimas voces erupit: « Ludam, et vilior flammis, plus quam factus sum: et ero humilis in oculis meis: et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. » Si ergo Rex tantus non dedecori sibi duxit, processioni interesse, cur in minori longi dignitate constituti, id vitio sibi vertendum timeant? 2<sup>o</sup> Alii timeant ne interea damnum bonis temporalibus aut lucro cessante patiantur, sed hi meminisse debent, quid Deus EXONT. XXXIV. c. promiserit, dum dixit: *Nullus insidiabitur terre tue, ascendente te, et apparente in conspectu Dei tui ter in anno.* Cum ergo nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilet, qui custodit eam, facile contingere potest, ut, si tuæ custodiæ nimis contidis, et ideo negligis processionem, domi tibi incommodum aut damnum nascatur, quod passus non fuisses, si cum vera ad Deum fiducia processione fuisses committatus; ita enim jam olim majores nostri senserunt, dum dicere sunt soliti: *Durch Kirchengöben versammet man nichts: durch Almosen geben erarmet man nicht*. Ita et Philippus II. Rex Hispania sensit, qui, cum Cordubæ olim in solenni processione moneretur de capite, ne ardor solis noceret, tegendo, responsum pium ac Catholicæ Rege dignum dedit dicens: *Sol hoc die non nocet.* 3<sup>o</sup> Denique alii dicunt, ubique Deum et Sanctos invocari posse, nec esse operæ pretium, ut tam molesta et longa litanera ob hunc finem suscipiantur; sed et hi errorem suum facile agnoscent, si meminisse velint, quod jam olim Deus, ut paulo ante vidimus, præcepit Judæis, ut ter in anno in Jerusalem peregrinantur; sed et de facto in aliquibus locis gratias largiatur peregrinantibus, quas frustra hi prius in patria sua petierant? Ad quem finem autem hæc

omnia facit, nisi ut ad peregrinationes instituendas homines incitaret? Annon enim alias aequae dici Deo potuissent, ubique bonum esse orare, ubique eum juvare, et favores suos conferre posse? Sancta ergo et salubris est consuetudo, processiones instituendi, et vel ideo tanto ferventius retinenda, quod per eam orationes nostrae gratiores Deo, et pro nobis efficaciores existant; dicat ergo quilibet cum S. Davide: « Introibo ad Altare Dei (ad hoc vel illud templum) ad Deum (et B. Virginem, aut alium Sanctum) qui laetificat juventutem meam (et cor meum) liberando me a malis praesentibus et futuris; et animam celestibus donis implendo, qualia nobis quoque concedat per merita SS. Matris suae Servator noster, qui cum Patre, etc.

*Quomodo in congregationibus Rosarii haberi conciones debeant.*

*Thema.*

Veniat dilectus meus in hortum suum.  
CANT. V.

*Scopus.*

Rosarii praestantia, utilitasque demonstranda.

*Syllogismus principalis.*

Illud exercitium devotionis merito suscipitur, quod et in se praestantissimum est, et plurimos exercenti fructus affert; atqui tale est exercitium Rosarii recitandi; ergo hoc exercitium merito suscipiendum, et frequentandum est.

EXORDIUM.

Non dubito, quin saepius hactenus non pauci ex vobis mirati sint, cur congregatio haec, in quam inscripti estis, congregatio Rosarii vocetur; neque enim haec congregatio horti similitudinem, aut illa exercitia, quae ab ea praescribuntur, rosarum speciem referre videntur; his non melius respondere possum, quam reserendo historiam, quam Joannes Major in speculo exemplorum V. B. Virgo Maria, sequentibus verbis refert: Legitur in libro exemplorum B. Virginis, quod

scholaris quidam juvenis B. Virgini multum devotus hanc sibi consuetudinem fecerat, ut de odoriferis floribus, et aliis redolentibus speciebus (prout melius habere poterat) imaginum B. Virginis, quae in templo habebatur, sertum quoddam diebus singulis mira cordis simplicitate ac devotione faciebat, quo caput imaginis ornare consueverat. Parentes igitur Clericuli, agnitis devotione pariter et desiderio pueri in Monasterium quoddam eum in Monachum consecrandum tradiderunt, qui mox claustrali arctata disciplina praedolore cordis cepit plurimum flere. Cumque Prior, quenam esset causa tanti fletus, interrogasset, (propter Ordinis namque rigorem flere eum suspicabatur) respondit ei puer: « Solitus sum dietim de congregatis hinc inde speciebus ac floribus B. Mariae sertum componere, ad quod jam exire, me videtur loci hujus observantia praedire. » Ad quod Prior: « Fili, inquit, charissime, singulis diebus legas quinquaginta Ave Maria, sicut ut semper post decem legas unum Pater noster ad honorem et reverentiam dilectae Dominae tuae. Sic nempe sertum ei facies gratius multo priore. » Puer vero jussa implens per incrementa temporum auxit et incrementa virtutum. Adeptus annos debite aetatis propter vitae ejus probitatem electus est in Priorem. Contigit ergo, eum ex parte officii cum aliquo Fratre aliquorsum pergere, quod ut quibusdam latronibus innotuit, eos a tergo sunt secuti. Recordatus interim Prior sertum consuetum B. Virgini illo die nondum lectum ad genua procidit, et maleficorum inscius sertum Virginis devotus implevit. Stantes autem latrones viderunt Dominam quandam mira gratiositate formosam ante eum stantem, et per singulas salutationes rutilantes rosas et flores ab ejus ore excipientem et sertum quoddam ex eis perpulchrum componentem. Finita autem oratione sua completum est sertum, quod ipsa Domina proprio capiti imponebat, sicque ab eorum obtutibus est subtracta. Clamabant igitur latrones ad Patrem: « Nisi nobis, quae fuerit haec Domina, quae vobis astabat, innotueritis, nequaquam mortem effugietis. » Quibus Prior: « Pueri, inquit, nullus est nobis Dominae cognita vel visa praesentia. » Ad quod Latrones: « Non solum quae vobis astat, sed et quid legebatis, cum vobis appareret, aperire nobis oportebit. » Coactus itaque Prior rei gestae ordinem illis retulit, quomodo videlicet dietim B. Virginem vene-

rari consuevit. Tunc illi miraculo audito, pedibus ejus provoluti, veniam postulabant, et ut sibi confiterentur, ab eo precibus impetrabant. Sicque emendata deinceps in melius vita, felici fine, beata quiete in Domino quieverunt. Prior ergo Virgini gloriose gratias referens, solitum suae devotionis obsequium tali fretus praesidio, devotius curavit eidem offerre. Ita totidem verbis Collector Speculi. Ex qua historia facile nunc colligitur, non immerito Salutationes Angelicas, quae ex praescripto Congregationis Rosarii recitantur, rosas, atque adeo ipsam Congregationem Rosarium, seu hortum Rosarum vocari; si enim hortus, teste Ruperto Abbate, inde nomen sum accepit, quod semper aliquid ibi oriatur, nemo profecto negare potest, hanc Congregationem praeter aliis nomen Rosarii mereri; utpote in qua quotidie tot amoenissima, et B. Virgini gratissima rose nascuntur, seu recitantur. Quod ipsum tamen ut clarius agnoscat, in praesenti abundantius demonstrabo, ut, dum praestantiam et utilitatem hujus Congregationis seu Rosarii cognoveritis, tanto magis quoque beneficium cooptationis in eamdem aestimetis, et per exactam omnium exercitiorum, quae ab ea praescribuntur, observationem gratos vos exhibere studeatis.

Tria praecipue commendari et aestimari adverto in Rosario, seu horto rosarum, amenitatem scilicet, odorem, et utilitatem ad varios, eosque praestantissimos effectus; quis enim non plurimum delectatur, si tot amoenas rosas, centum interdum foliis constantes, in Roseto spinis referto exortas videat? quis non plurimum recreatum suavissimo rosarum odore se fatetur, si pone ejusmodi Rosetum transeat? Quis non frequenter virtutem rosarum sive ad catarrhos dissolvendos, sive ad dolores stomachi leniendos, sive ad sananda ulcera, sive ad deliquia animi pellenda, sive ad aciem oculis reslituendam, in se, aliusve expertus est? Verum utat haec tria praeciosa excellenti quodam modo Rosario convenire dicantur, negari profecto non potest, ea praestantiori longe ratione Rosario nostro spirituali, seu Congregationi Rosarii convenire.

Atque ut de ipsa amenitate initium faciam, quis negare potest, amoenissimas in hac Congregatione rosas, id est, Salutationes Angelicas, et Dominicas Orationes quotidie fere recitari solitas, et tot quasi pulcherrimis, spatii, quot mysteriis, praeditas inventiri?

Quomodo enim non summe recreari potest Deus, si proprii sui Filii, et Sanctissima Matris ejus memoria reficitur? Quomodo non et ipsi homines exilarari, si haec suavissima duo nomina vel ipsi pronuncient, vel ab aliis pronuntiantur audiant? Hoc sane agnovit S. Bernardus a S. Bonaventura in spec. Virg. c. viii. cit. dum ait: « O magna, o pia, o multum laudabilis Virgo Maria: tu nec nominari potes, quin accendas: nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligendum te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus insita, piae memoriae portas ingrederis. » Hinc S. Franciscus Seraphicus mira devotione erga hanc salutationem ferebatur dicere solitus: « Cum dico Ave Maria, coli vident, Angeli gaudent, mundus exultat, infernus contremiscit, Demones fugiunt. » Quod itaque Pierius l. LV. de Rosis materialibus scribit, quod scilicet Indorum Magi ad conciliandos magnorum Principum animos non alia re magis, quam rosas vel oleo rosaceo utantur, hoc multo verius de his rosis spiritualibus dici potest: has sane rosas qui devole usurpaverit, Deoque obtulerit, dubitare non potest, quod Dei, et Deiparae gratiam sibi conciliaturus, veniamque peccatorum suorum facile sit obtenturus, cum enim toties nomina SS. Jesu et Mariae devote pronuntiet, et eum fiducia invocet. « Habebit utique, ut Arnoldus Carnotensis ait, Mediatorem causae suae Filium ante Patrem, et ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus et vulnera, Maria Christo pectus et ubera, nec potest esse repulsa, tibi concurrunt et orant omni lingua disertus haec elementiae monumenta, et charitatis insignia. » Id quod multis sane exemplis posset confirmari, unum praere liquis sufficiat de Benedicta Nobili Virgine, quae a turpi Amasio seducta primum est impregnata, postea commune prostibulum urbis facta, quia S. Dominici cognati sui ad conversionem hortantis monita contempsit, intra triduum morbo correpta, omniumque amicorum auxilio penitus destituta est. Denique quia a S. Dominico persuasa Rosarium quotidie dicere decrevit, et vero etiam recitavit, ita mutata est, ut passim pro sanctitatis speculo haberetur, quamobrem Rex ipse divulgata ejus fama non aliam magis, quam ipsam statuit in conjugem assumere, post ejus mortem ipsa regnum diu et feliciter administravit, superis aequae ac hominibus dilecta, uti fusi in Thesaurio Rosarii p. II. c. II. refer-

tur. Quod si vero Rosario aut ipsis etiam rosis non parum amenitatis aut admirabilitatis potius conciliat, quod inter spinas nascantur, neque hoc sane Rosario nostro deest; quis enim nescit, quam vehementer Rosarii promulgationem et usum impedire conati sint infernales Genii? Quam potenter se S. Dominico Rosarii promulgatori opposuerint Albigenenses Hæretici? Quam multi insuper frigidi Christiani qua calumniis, qua acerbis diceriis alios a frequentatione hujus Congregationis et recitatione Rosarii avertere studuerint? Quid aliud vero sunt istæ persecutiones et oppositiones nisi acutissima spine, inter quas tamen rosæ nostræ spirituales tanto copiosius et admirabilius creverunt, quanto vehementius ipsas eadem spine suffocare nitentur. Vere igitur magna amenitas, magna amabilitas, magna est admirabilitas nostri Rosarii.

Nec vero etiam suavissimus odor deest Rosario nostro; quid enim tam multos Reges et Principes, tam multos Ecclesiasticos, tam multa Laicorum Christianorum milia attraxit, atque, ut in Congregationem Rosarii inscribi peterent, persuasit, nisi suavissimus odor, et fama, que de præstantia et efficacia Rosarii tot miraculis, aliisque testimoniis confirmata per totum orbem spargebatur? Sane si perpendere accuratius velimus, quam brevi tempore per tot urbes et provincias, hæc Congregatio propagata, et usus Rosarii recitandi ubique introductus, receptus, et conservatus sit, miraculo prope similis videbitur tam admiranda propagatio, nec alii causæ, quam suavissimo odori hujus Rosarii adscribenda, de quo merito omnes Christiani in hæc Congregationem adscripti illa Sponse Cant. i. verba usurpare poterant: *Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum (et piarum legum ac consuetudinum) currentium.* Nec diutius in proprietate ista per se notissima explicanda, aut probanda immorabor.

Sed ad tertiam, eamque præcipuam Rosarii nostri laudem, utilitatem scilicet, et efficaciam progredior, quam quidem paucis verbis egregie expressit Idiota To. III. Bibl. SS. Patrum c. v. dum dixit: « Non est in ullo alio nomine post nomen superbenedicti Filii tui tam potens adiutorium, nec est ullum aliud datum nomen sub celo hominibus post dulce nomen Jesu, ex quo tanta salus hominibus refundatur, quia super omnia Sanctorum nomina refecit lapsos, sanat languidos, illuminat cecos, penetrat duros, recreat

fessos, ungit agonistas, et jugum Diaboli extrudit. Tantæ virtutis est et excellentiæ, ut oculum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, cum Maria nominatur. Ubi autem frequentius hoc Sanctissimum nomen profertur, quam in ipso nostro Rosario? Ut autem clarus et in specie magis has utilitates declarem; habeant sane rosæ, aut aqua potius ex rosis distillata virtutem, oculorum aciem restaurandi; nostræ profecto rosæ spirituales seu salutationes in Rosario incluse virtutes habent non corporis, sed animi oculos illuminandi; ita sane S. Dominicus ipse, teste Pistorio conc. XIV. p. II. expertus est, dum ipsi in Academia Parisiensi concionari jussu, et sublimes conceptus animo volentibus B. Virgo apparuit, et libello oblata dixit: « Fili mi Dominice, etsi bona sint, que explicare pro concione decrevistis; longe tamen meliora attui tibi. » Aperto itaque libro tot in eo mysteria de Rosario, quot verba reperit. Habeant 2<sup>o</sup> rosæ virtutem dolores corporis leniendi; nostræ vero rosæ dolores tales et morbos non leniunt dumtaxat, se omnino auferunt, uti tum quotidiana anathemata, tum historie plurimæ in thesaro Rosarii annotatæ testantur. Habeant 3<sup>o</sup> rosæ virtutem catarrhos dissolvendi; nostræ rosæ catarrhum multo magis noxium et periculosum, malas scilicet consuetudines dissolvunt; expertus hoc est, uti plures alios brevitas causa præteream, juvenis ille, qui, cum pessimam ludendi et potandi consuetudinem contraxisset, ad avunculi sui consilium primo anno quinquaginta salutationes recitavit; et, cum imminui paulatim consuetudinem adverteret, sequenti anno totidem salutationes adjecit; et, cum novum iterum fructum sensisset, etiam tertiam Rosarii partem adjunxit, sicque quotidie integrum Psalterium recitavit, et per B. V. auxilium, sic immutatus est, ut, dum ipso nuptiali die recordatus, se pensum sum Magnæ Patronæ necdum persolvisse, in cubiculum successisset, sub ipsa recitatione Rosarii B. Virgo tribus diversis togis, in quibus centum et quinquaginta salutationes aureis litteris descriptæ fuerant, induta ei apparuerit, et sponse terrene valedicere jubens, eum intra dies tres ad cælestes nuptias invitavit. Unde mox lenta febre correptus intra triduum pie expiravit, uti fusi in Spec. Exempl. lit. Castitatis ex v. videre est. Habeant 4<sup>o</sup> rosæ virtutem ulcera curandi; annon graviora, magisque periculosa anime ulcera peccata sunt?

Hæc autem a rosis nostris spiritualibus efficacissime curantur, uti innumera iterum exempla maxime a S. Dominico patrata probant, qui sane ad gravissimos quosque peccatores non alio magis remedio est usus, quam Rosarii commendatione. Et vere quis nescit, quam multi graves peccatores in longum tempus sua peccata confiteri differrent, nisi Congregatio Rosarii cui nomen dederunt, suis legibus, aut indulgentiis propositis eodem ad confessionem et emendationem suorum peccatorum invitaret? Habeant denique 5<sup>o</sup> rosæ virtutem ad varia animi deliquia pellenda; nunquam in hoc virtutem rosarum nostrarum spiritualium exaquabunt; annon enim grave deliquium est, in hostiles manus et vitæ pericula incidere? Quam multi autem ab hoc deliquio per virtutem Rosarii sunt liberati? De Alano certe equite quotidie Rosarium recitare solito Chronicon S. Dominici p. I. c. XXXIV. refert, quod, cum ab ingenti Hæreticorum multitudine circumdatus esset, B. Virgo visa sit centum et quinquaginta lapides in hostes jacere, maxima eorum strago. Alias vero Jerosolymas navigans, cum in naufragium incidisset, centum et quinquaginta colliculos viderit, per quos in continentem salvus evasit; ut merito Jacobus Saramina Coadjutor Societatis Jesu in Mauros prædones incidens Rosarium protulerit, atque ad hostes, nihil vos formido hoc fretus, dixerit, et intactus evaserit; annon grave pariter deliquium est, a tartareis spiritibus infestari? Atqui ad hoc etiam tollendum deliquium efficacitatem Rosarium habet; certe S. Dominicus per hoc plures ex obsessis Dæmones fugavit, maxime ex Albigeni Hæretico, qui, quia Sancto Rosarii virtutem prædicanti contradicere ausus erat, a quindecim mille Dæmonibus fuerat obsessus, quos tamen omnes per virtutem Rosarii S. Dominicus cedere coegit, ita ut, quoties populus præsens salutationem Angelicam recitavit, toties magna Dæmonum multitudo sub specie carbonum ardentium erumperet. Sed et de alio quopiam Societatis Jesu Religioso Bonifacius I. IV. c. ix. testatur, eum, cum in itinere septem fuliginosos et igneos Dæmones Molossorum specie obvios habuisset, arrepto mox Rosario eos in fugam dedidisse; annon gravissimum iterum deliquium merito censetur, mortem terribilium omnium terribilissimum subire, et de felicitate æterna periclitari? Atqui et hoc potenter eximit rosarium nostrarum Spiritualium virtus; quis

enim non magna cum fiducia moriatur, si meminerit, se toties Mariam in Rosario invocasse, ut in hora mortis sibi adesse dignetur? Si meminerit etiam, ipsos aliquando Dæmones a S. Dominico adjuutores publice confessos esse, neminem æternis ignibus adjudicatum iri, qui in Rosarii recitandi exercitio constanter perseveraverit, vel enim contritionis eliciendæ gratiam, aut confessionis faciendæ occasionem illi a B. Virgine impetratum iri, quod quidem tam constanter ab ea observatum scitur, ut etiam mortuus in peccato mortali reditum ad vitam, et poenitiæ gratiam impetrarit. Annon magnum denique deliquium justus purgatorii gravissimi post mortem subeundi metus? Quis autem nescit, quam potenter ab hoc etiam deliquio rosæ nostræ defendunt, dum non modo in vita ereberrime, sed in ipsa etiam morte plenissimum culpæ et poenarum indulgentiam omnibus illis impetrant, qui Congregationi huic inserti vel Rosarium devote recitaverint, vel alia exercitia præscripta impleverint.

Quid ergo superest, Auditores, nisi ut quisque sibi illa sponsi Cant. II ad sponsam prolata verba denuo dicta arbitretur: *Surge amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems (id est, tepor et frigus in usurpatione Rosarii) transit, imber (impedimentorum et difficultatum a tali amore retrahentium) abiit et recessit; flores (id est, salutationes Angelicæ in Rosario incluse, et pie recitæ) apparuerunt in terra nostra, dum tibi iterum commendatæ, fructusque earum copiose sunt explicatæ, surge ergo, et veni; venies autem, si, ubi nondum Congregationi huic inscriptus es, hodie inscribi te sinas; venies, si dicte Congregationis leges accurate observaveris; venies, si Rosarium frequenter et devote recitaveris; et in tali exercitio constanter perseveraveris; venies si alios quoque ad nomen Congregationis huic dandum, Rosariumque pie recitandum incitaveris, hoc modo, inquam, venies, sed non frustra, nam et effectus harum rosarum in hæc vita participabis, et tandem in cælesti Rosarium omni voluptatum genere abundans cum gaudio admittetis. Amen.*

Nota, simili modo alios ejusmodi conceptus in exhortationibus duodecim per annum, singulis scilicet mensibus, habendis proponi posse, quorum aliquos quidem hic insinuo, ita tamen ut quoniam prolixum nimis et



operosum foret, singulos fusius explicare, contentus dumtaxat sim futurus, pro quovis anno duodecim argumenta indicasse, fusio-rem vero deductionem ipsi exhortatori relicto, cui difficile non accidit, materiam pro tali deductione necessariam invenire et disponere, si ad modos diducendi haec assig- natos, et ad fontes seu Auctores in se- quentibus conceptibus indicatos diligenter attenderit.

#### *Alii conceptus.*

I. Ergo Congregatio comparari *Rosario* seu horto rosis condito, et in singulis exhortationibus una rosa decerpi et auditoribus offerri; pulchra nimirum historia de fructu ex *Rosarii* recitatione hausto narrari, et morales inde doctrinae erui, quem in finem liber vocatus *die geistliche Schatz-Rammer*, plurimum servare poterit, utpote in quo tota secunda pars in ejusmodi historiis narrantis consumitur.

II. Posset eadem Congregatio comparari *ligno vite*, de quo in *Aroc.*, c. ult. fit mentio, duodecim fructus afferenti, quorum quovis mense unus explicari posset. Possent autem esse frequentes 1° assecuratio salutis, de quo dictus liber p. I. q. iv. agit. 2° Participatio meritum ordinis S. Dominici n. vii. 3° Indulgentiarum lucrandarum occasio, de quibus c. xv. xvi et xvii. 4° Orationis per conjunctionem cum aliorum orationibus c. vii. 5° Mutuum auxilium et solatium et concordia juxta illud: *O quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum.* 6° Frequentia in susceptione Sacramentorum, de qua merito usurpari potest illud S. Hieronimi: *Felix necessitas, quae ad meliora compellit.* 7° Filiatio B. V. 8° Assistentia in morte. 9° Sepultura honorifica. 10° Liberatio a purgatorio. 11° Glorie augmentum. 12° Gaudium accidentale ex iis, quae in Congregatione *Rosarii* ad majorem Dei gloriam fiunt; item ex fratribus et sororibus *Rosarii* in oculum assumptis.

III. Posset eadem Congregatio comparari *Arcae Noe*, ac in 4° exhortatione ostendi, quomodo S. Dominicus cum Noe magnam similitudinem habeat. In 2° quomodo Congregatio *Rosarii* ratione materiae, scilicet ligni cedrini, litumine intrinsecus et forinsecus illi *Arcae Noe* recte comparetur. In 3° quomodo ratione formae, speciatim ra-

tionem trium habitationum, fenestrae chrysalinae, unicae januae, etc. possit cum eadem comparari. In 4° quomodo salventur, qui in eam ingrediuntur. In 5° quomodo ingressus fieri debeat. In 6° quid in ipsa *Arca* seu Congregatione observandum, ubi speciatim de constantia agendum. In 7° de prima occupatione in hac *Arca*, nempe oratione. In 8° de secunda occupatione, frequentatione scilicet Sacramentorum. In 9° de tertia occupatione, processione menstrua. In 10° de quarta occupatione, concionis menstruae auditione. In 11° de eorum, qui hanc Congregationem irridunt, et scommatis prosiciunt, infelici interitu. In 12° de exitu seu educatione ex *Arca* per felicem sodalium ex hac vita transitum.

IV. Posset spiritualis distillatio *Rosarum* institui et mysteria, ac doctrinae salutare in *Rosarii* partibus, puta oratione Dominica ac salutatione Angelica, contentae per duodecim conciones explicari.

V. Posset per totidem conciones exponi virtus aquae rosaceae seu doctrinarum priorum propositarum contra varios morbos spirituales v. gr. 1° Contra capitis dolorem seu pertinaciam in haeresi, de quo *Thesaurus Rosarii*, p. XII. c. i. varia exempla affert. 2° Contra vertiginem capitis, id est, pusillanimitatem ex dubia praedestinatione exortam, de qua l. c. c. iii. 3° Contra apostema inveteratae consuetudinis in variis peccatis; de qua l. c. c. ii. 4° Contra angustias pectoris ex scrupulis, ex timore mortis ortas, de quibus l. c. c. vi. ex. 67. 68. 69. 72. 5° Contra febrim frigidam tepiditatis in divino servitio, de qua l. c. c. ii. ex. 17, 19, 20. 6° Contra febrim ungaricam luxuriam, de qua l. c. c. ii. ex. 7. 8. 9. 10. 13. 7° Contra epilepsiam, id est, reincidentiam in peccata, de qua l. c. c. ii. ex. 23. et l. III. ex. 36. c. vi. ex. 20. 8° Contra calculum, id est, peccatum occultum, quod quis confiteri horret, de quo l. c. c. ii. ex. 24. et 21. 9° Contra podagram spirituale, id est, accediam, et tarditatem in bonis operibus exercendis; de qua l. c. c. v. et l. lvi. lxxv. 10° Contra palpitationem cordis, et timorem hostium variorum, de quo l. c. c. viii et xiv. 11° Contra chiragram seu immisericordiam in pauperes, de qua l. c. c. vii. ex. 83. 12° Contra tormina seu impatientiam in morbis aliisque adversis, de qua l. c. c. xi.

VI. Posse ostendi, quomodo *Rosarii* Congregatio sit exercitus immortalis, in defen-

#### EXORDIUM

sionem Ecclesiae a S. Dominico, hortante B. Virgine conscriptus, unde per duodecim conciones posset ostendi, quomodo contra duodecim hostes defendat. 1° Contra Deum iratum. 2° Contra Christum Judicem. 3° Contra Daemones. 4° Contra mundum. 5° Contra carnem. 6° Contra vitae corporalis pericula, et ipsam mortem. 7° Contra malos socios. 8° Contra inimicos privatos. 9° Contra hostes publicos. 10° Contra hostes et calumniatores *Rosarii*. 11° Contra inimicos domesticos, seu proprias passiones. 12° Contra peccata commissa, quae omnia pulchris exemplis ex *thesauro Rosarii* petitis probari possunt.

#### CAPUT III.

##### *Quomodo de Sanctis conciones institui possint.*

Etiam in his variis modis haberi conciones possunt. Vel enim de iis in genere, seu simul sumptis concio institui potest, vel in specie de uno tantum, et tum iterum vel tota vita Sancti breviter percurri, vel una tantum aut altera ipsius virtus proponi, et commendari. Singulorum modorum exemplaria breviter hic afferuntur.

##### *Exemplar primum.*

Quomodo de sanctis simul sumptis concio institui possit.

##### *Thema.*

Gaudete, et exultate. MATTH. vi.

##### *Scopus.*

Omnium Sanctorum cultus persuadendus.

##### *Syllogismus principalis.*

Tunc merito omnes Sancti peculiari studio colendi sunt, quando, hic cultus Deo gratis sumus est, et nobis ingentia commoda parit: atqui ita se res habet; ergo.

Celebramus hodie festum omnium Sanctorum, cujus festi originem hanc affert Baroni- us. Erat olim Romae ab antiquis Romanis aedificatum templum celeberrimum in om- nium deorum honorem, ideoque Pantheon dictum. Hunc ergo superstitiosum cultum, ut abrogaret, aut potius in meliorem com- mutaret, Bonifacius Pontifex aliud templum in honorem omnium Sanctorum aedificari, ac adeo cultum falsis diis attributum ad Sanctos transferri voluit. Idem ergo hodie etiam Ecclesia a nobis exigit; erant nimirum, erant haec non pauci, qui et ipsi falsos deos colebant, dum gloriam, auxilium et solatium ab hominibus, quorum vana est salus, quaerebant; sed hodie cupit Ecclesia, ut templum hoc, id est, cor sursum in templum cultui Sanctorum omnium consecratum con- vertant. Hinc omnes ad hanc festivitatem invitati, dum in Missa cantat: « Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes in honore Sanctorum omnium, de quorum solemnitate gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. » Ut ergo huic tam ardenti Matris nostrae desiderio tanto promptius satisfaciamus, ostendam in praesenti concione paulo fusius, cur et quomodo omnes Sanctos colere debeamus. Vos interea mentes animosque ad hunc cultum preparate.

##### *Pars prima.*

Et primam quidem partem quod attinet, duas potissimum causas invenio, ob quas omnes Sanctos praecipuo studio colere debeamus. Prima est, *Quod summo amore Deum ipsi prosequantur*; quae sane causa magis, quam omnes aliae movere nos deberet, ad omnem illis cultum et amorem tribuendum; nam dicite, quaeso, Auditores, si esset aliquis, qui adeo vos amaret, ut de vestris bonis magis, quam de suis gauderet: ut in omnibus id solum indagaret, et faceret, quod vobis gratissimum, et maxime honorificum esse cognosceret; annon summam ingrati animi notam vos admisisse censeretis, si talem hominis amorem non agnosceretis, et mutuis officiis compensare studeretis? Ita profecto dicetis, si sapitis. Jam vero ulterius quaero; annon Deum magis, quam vos ipsos ametis; atque adeo beneficia et officia ipsi

exhibita pluris aestimatis, quam quae vobis praestantur; neque hoc, credo, negabitis; annon autem ex hoc per legitimam consequentiam inferitur, vos summe obligatos esse ad omnes Sanctos singulari amore et veneratione prosequendos? Ut, quorum quilibet Deum tanto honore et amore prosequitur, quem honorem et amorem vos perinde accipitis, imo pluris facitis, quam si vobis fuisset exhibitus? Vere qui hanc rationem sufficienter penetrat, ac perpendit, saxum habere cor debet, si flecti se ac moveri non sinat, ad omnes Sanctos singulari cultu et amore prosequendos.

Secunda causa minor quidem, sed tamen valde quoque efficacis ad eundem cultum persuadendum, offertur nobis ex commodis, quae ex tali cultu nobis proveniunt, et ad tria potissimum revocantur, quod scilicet per cultum hunc mereamur, omnes Sanctos pro nostris *spectatoribus*, *advocatis*, et *protectoribus* habere, quae tria officia, si fructum in his latentem consideremus merito triplex funiculum dici possunt, quo arctissime ad omnes Sanctos studiosissime colendos obstringimur, ideoque difficulter rumpitur.

Nam 1<sup>o</sup> quis non videt, quanta commoda ex hoc, quod eos in omnibus operibus *Spectatores* habeamus, (si scilicet omnia opera nostra ad eorum post Deum honorem dirigamus) orientur? Quanta cum sollicitudine fugiantur peccata, si quis credat, se a tot testibus spectari? Si, teste Seneca, magna pars peccatorum tollitur, quando peccaturis testis assistit; annon si tot millia lestium assistere nobis adverterimus, omnia omnino peccata, aut certe potissima eorum, quae deliberate committuntur, pars auferetur? Quanta porro acuratione et diligentia singula opera peragentur, quanta cum alacritate personam quisque suam sustinere conabitur si in tali theatro, coram tot tantisque spectatoribus se spectaculum factum esse sibi persuaserit? Et cum Sancto Davide dicere ausus fuerit Ps. CXXXVII. *In conspectu Angelorum* (imo et Sanctorum omnium) *psallam tibi*, ceteraque mea opera peragam? Si oculus Domini juxta commune proverbium saginat equum, quid oculus tot Sanctorum non faciet? Annon animam egregie saginabit? Si unius Principis praesentia tantos animos et vires addit ad opus aliquod summa cum alacritate et diligentia peragendum; quid non faciet tot principum regumque caelestium honorificentissimum aspectus?

Jam vero ex titulo *Advocati*, qua commoda quisque sperare possit, quis iterum non videt? Quid deinceps non sperabimus a Deo impetrare, si tot pro nobis *Advocatos* intercedere adverterimus? Si S. Hieronymus dixit, impossibile esse, ut multorum pauperum etiamnum in hac vita degentium, et pro suo benefactore Deum deprecantium preces non exaudiantur, quomodo possibile erit tot tantorumque Dei Amicorum tam ferventer perfecteque orantium vota non audiri? Qui, ut ait S. Chrysost. capita aut alia membra absecta in manibus portant, ut efficacius Deum moveant? Si olim Assuerus, Estheri dimidium regni ausus est polliceri; quid Deus, qui Sanctos per visionem et amorem beatificam arctissime sibi desponsatos milies magis diligit, negare eis poterit? Annon ergo audacter dicemus cum Ecclesia: « Omnipotens sempiterna Deus, qui nos omnium Sanctorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quosumus, ut desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessionibus largiaris? »

Sed neque ex tertio titulo *Protectoris* minor commoda speranda sunt. Si enim jam olim Eliseus IV. Reg. c. VI. puero suo ob exercitum Regis Syriae, qui ad Eliam capiendum, vel occidendum missus fuerat, trepidantem montem plenum eorum et currum ostendit, dixitque: Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quam cum istis: quanto potiore jure hoc animae suae dicit is, qui omnes Sanctos in protectionem suam intentos esse credit? Annon se ipsum illis S. Bernardi verbis in Ps. qui habitat, animabit, dicitque: « Quid sub tantis custodibus timeamus; fideles sunt, potentes sunt, prudentes sunt, quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhaereamus eis, et in protectione Dei oculi commoremur. » Atque ex his patet, cur Sancti omnes a nobis studiosse colendi.

#### Pars secunda.

I. Sed forte dicetis, vobis non sufficere vires ad tot tantosque Patronos colendos; neque enim vobis quidquam praeter paucas preces, et quaedam virtutum exercitia suppetere ad illos honorandos. Sed haec quid inter tantos? Verum nolite diffidere, AA. nam et facillimam, et solidissimam praxim vobis ostendam, qua Sanctis his omnibus sufficientissimum simul et gratissimum cul-

tum exhibeatis. Pro qua tamen prius supplicandum est, per honorem uni exhibitum alteri nihil decedere, si rite honor iste exhibitor, cum honor nihil aliud sit, quam publica testificatio concepta in animo de alterius virtute opinionis; possit autem haec aestimatio unius praeter altero publice vulgari, etiamsi per eundem actum etiam alius honoratur. Exemplo res clarior fieri poterit. Ponamus, me principalem aliquem Dominum testificandi mei in ipsum affectus gratia ad convivium invitare, et quia aliunde mihi perspectum est, eum aliquos amicos licet longe ipso inferiores valde diligere, etiam hos ad convivium, ut Domino illi amico suo sua societate convivium jueundius, gratiusque efficiant, vocare; et in tali casu nunc aio per talem invitationem, et convivii institutionem utique Dominum illum principaliter honorari, tantumque abesse, ut per invitationem aliorum amicorum quidquam de honoris hujus quantitate decedat, ut plurimum potius ille augeatur, cum haec ipsa amicorum invitatio propter ipsum fiat, quia scilicet supponitur, illum valde ipsos diligere, atque adeo multum desiderare, ut secum convivium hoc participent, ipseque eorum praesentia et conversatione delectari, atque in eorum honoratione per me facta abundantius honorari possit. Simili ergo modo cum Dei et Sanctorum honore se res habet. Diligit nimirum et ipse Deus Sanctos suos ardentissime, cupit a nobis plurimum honorari, honoremque illis impensum perinde reputat, ac si sibi exhibitus esset, atque adeo non modo per hunc Sanctorum cultum nil ipsi de honore decedit, sed potius hic summo opere augetur, in tot tantisque servis et amicis suis copiose honoratur.

Hoc ergo supposito totam praxim hujus cultus in tribus consistere aio. 1<sup>o</sup> Ut discrimen inter Patronos ad exemplum Ecclesiae faciamus, et aliquos quidem pro Patronis principalibus, et quasi primae classis eligamus, quales v. gr. esse possent B. V. et Sanctissimus Sponsus ejus Josephus, S. Angelus Custos, Sanctus, cujus nomen gerimus, SS. Petrus et Paulus velut fundatores et Patroni principales Ecclesiae, item fundator ordinis aut status illius, in quo degimus. Alii pro Patronis minus principalibus et quasi secundae classis colantur, quales v. g. esse possent, ad quos specialiter vel ratione ejusdem vocationis, vel ratione beneficii specialis accepti, aut obtinendi, aut quocumque

alio titulo magis colendos et amandos incitari nos experimur. Alii denique pro communibus Patronis habeantur, de quibus proinde omnibus tam specialibus, quam communibus Patronis, ut eorum memoria, et fiducia in illos perpetuo refricetur, litaniae brevisculae confici, et quotidie vel certe quavis hebdomade aut mense recitari possent.

II. Ut omnes hos Patronos certo quodam die post peractam confessionem et sumptionem Sacri epuli concepta formula in hunc vel similem modum eligamus, o Sanctissimi, Deoque dilectissimi Dei amici, o Sanctissima caelorum Regina, omnesque coli beatissimi incolae, gratulor vobis ex intimo corde de omni gloria et felicitate vestra, optoque ardentissime, ut haec gloria et felicitas vestra majora in dies augmenta sumat, et vero etiam ipse pro viribus id procurare paratus sum. Gratias quoque vobis, quas possum, maximas ago, pro omnibus et singulis obsequiis Divinae majestati et vobis mutuo exhibitibus, uti et pro omnibus beneficiis, quae omnibus defunctis et viventibus, sed mihi praecipue indignissimo clienti vestro tam liberaliter contulistis, optoque iterum ex animo, ut pro tot tantisque favoribus aeternum me gratissimo exhibere valeam. Certe quod negligenter adeo id ipsum haecenus praestiterim, doleo et erubescio ex corde, ac propterea per amorem Dei mei, et gloriam vestram humillime rogo, ut et ipsi veniam tantae negligentiae benigne concedatis, eandemque etiam a clementissimo Deo meo misericorditer impetretis, una cum efficaci gratia, qua vel nunc me sincere emendare, totamque vitam meam divino servitio, vestroque Sanctissimo cultui consecrare valeam.

Id sane uti ardentissime desidero, ita per vos etiam vel maxime impetraturum me confido; capropter licet undecumque vestro Patrocinio indignissimus, fretus tamen pietate vestra et zelo singulari, quem geritis ad Dei gloriam, meamque ac aliorum salutem promovendam vos coram tota SS. Trinitate, omni possibili submissionis, reverentiae, ac fiducia affectu in amantissimos meos Dominos, Spectatores, Advocatos, et Protectores eligo, firmiterque statuo ac propono, me nunquam vos derelicturum, nec contra vos aliquid unquam cogitaturum, dicturum, aut facturum, neque permissurum, ut contra vestrum honorem unquam aliquid a meis subditis agatur, sed potius totis viribus procuraturum, ut tam a me, quam ab illis gra-